



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 3. Quomodo dici potest quod fideles offerunt sacrificium simul cum sacerdote, quando non communicant?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacrificio Missæ. Cap. III. 243

& consummatio Hostiæ facta à sacerdote sunt de essentia Sacrificii Missæ; quod satis patet ex eo quod præscribit Ecclesia in Rubricis Missalis supra relatis, videlicet quod *Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa; si post consecrationem Corporis tantum, aut consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu necessitatis, etiam per non jejunum.* Quod tamen non præscriberet Ecclesia si Communio non esset de essentia Sacrificii Missæ, sicut non vult quod alius Sacerdos perficiat Missam, quando primus moritur ante consecrationem, quia tunc nullum est Sacrificium, cum cæremoniæ quæ præcedunt consecrationem non sint de essentia Sacrificii Missæ, ut mox diximus.

Et ut ait Concilium Toletanum relatum in Canone; *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Et ex hoc innuens quod illud Sacrificium nullum esset.

Can. Relatum, De Consecr. dist. 2.

Quæst. 3. Si Communio est de essentia Sacrificii, quomodo dici potest quod Fideles offerunt Sacrificium simul cum Sacerdote, quando non communicant?

Resp. Fideles semper cum Sacerdote sacrificant, quia semper debent in omnibus Missis quibus interfunt communicare saltem spiritaliter, ut ait Concilium Tridentinum his verbis: *Nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat; siquidem hæc quoque Missa verè communes censeari debent, partim quòd in eis*

Conc. Trid. sess. 2. de Sacrif. Missæ, cap. 6.

populus spiritualiter communicet. Hæc autem Communio spiritualis fit dum Fideles ad recipiendum in se Christum disponuntur ex ferventi quod concipiunt desiderio illi se intimè uniendi, & ejus se voluntati in omnibus conformandi.

CAPUT IV.

De Obligatione audiendi Missam.

Quæst. 1. **E**ST-NE peccatum mortale non audire Missam diebus Dominicis & festivis?

Resp. Quicumque ex negligentia mera omittit audire Missam diebus Dominicis & festivis, cum possit, peccat mortaliter: facit enim contra præceptum Ecclesie. Ita Divus Antoninus 2. p. tit. 9. §. 1. cap. 10.

Quæst. 2. Ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, tenemur-ne distinctè audire quod dicit Sacerdos?

Resp. Ex eodem Sancto loco citato: Non est necesse sensim & distinctè audire verba Missæ: nam tunc sequeretur hoc inconveniens, quòd qui audiret Missam ab his qui submissè dicunt, cum multitudo adest, qui remoti sunt, non implerent præceptum: similiter & qui surdi essent, vel heberem auditum haberent; intentio ergo Ecclesie in illo Decreto est, quod præsens sit in Missa & vacet Deo; si etiam intelligens est, dignum & justum est, ut intendat & conetur intelligere quæ dicuntur populo in Missa.

Quæst. 3. Qui omittit audire aliquam Missæ partem, v. g. introitum, satisfacit-ne Ecclesie præcepto?